

T E N T A M E N
 PHYSIOLOGICO-MEDICUM
 INAUGURALE,
 DE
 Secretione Uterina, vel Fluxu qui
 vulgo *Menstruus* dicitur.

QUOD,
 ANNUENTE SUMMO NUMINE,
 Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.
 ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
 NEC NON
 Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
 Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
 PRO GRADU DOCTORIS,
 SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
 RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
 Eruditorum examini subjicit

JOANNES CRAVEN,
 HIBERNUS.

A. B. Trin. Coll. Dub.
 Soc. Reg. Med. Edin.
 Socius.

Nullius addictus jurare in Verba magistri. Hor;

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURG I:
 Apud BALFOUR et SMELLIE,
 Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Viro egregio,

JOANNI MONTGOMERY,

De Ballileck, in Agro Monaghanensi,

Armigero,

Senatori Hibernico,

Domi Animorum ~~fini~~ Dominatori,

Sed dum in luce reipublicae versaretur,

Acri, prompto, incorrupto ;

Qui Hiberniam calcatam dudum

Et aerumnis deformatam

Inter primos erexit ;

Nec unquam iniquum

Et alienum jugum detractanti,

~~Stexnus~~ propugnator defuit,

Quas quidem virtutes ab ea stirpe traxit,


Quae semper, non patriae tantum,

Sed et hominum

Studioſa libertatis,

Nomen MONTGOMERY Americanis pariter ac suis,

Clarum et venerabile fecit ;



Item,

Reverendo viro,

GULIELMO MAXWELL, S.T.P.

De Falkland,

In Agro Monaghanensi,

Benignitate, pietate, humanitate,

Omnibusque felicis ingenii dotibus,

Insignito;

Nec non,

P A T R I C I O H A S T I N G S,

De Eblana

Armigero;

Cujus amica in omnes benevolentia,

Morum suavitas et urbanitas,

Eorum, quibus eum novisse contigit,

Admirationem et amorem conciliant;

Summa, qua fas est, observantia,

Prima haec studiorum rudimenta

Sacra voluit

J O A N N E S C R A V E N.

- 2. Pro ambeuntes *lege* ambientes
7. Phaenominis *lege* Phaenomeni
16. topicalis *lege* particularis
21. libidinem *lege* libidini
non illibenter *lege* libenter
fordescere *lege* aversari
tradar *lege* tradam
22. utilitas *lege* utilitas
cruroris *lege* cruris
23. Rufshiana *lege* Ruyschiana
sentire *legē* sentiri
24. physologi *lege* physiologi
mutari *lege* mutare
27. alluctetur *lege* reperit
depellentur *lege* depelluntur
patiantur *lege* patiuntur
Immenal. *lege* Emmenal.
30. schirrorum *lege* schirrosum
etque *lege* atque
32. aeque *lege* neque
coagularet *lege* coaguletur
35. posteo *lege* postea
pro videri *lege* videre
Pontidera *lege* Pontedera
38. phaenomenonis *lege* phaenomeni
Solo *lege* Sole
41. videri *lege* videre
post senescentibus adde sistat
42. phaenomeni *lege* phaenomeno
effunderemur *lege* effunderemus
43. ingrata *lege* ingratia
initerer *lege* eniterer
ingenuorum *lege* ingenuarum
conticescit *lege* conticescit
post benevolentia adde prosecutus sis.

Dr. Garcaan
with comp. from his
own hand

T E N T A M E N

PHYSIOL OGICO-MEDICUM

I N A U G U R A L E,

D E

Secretione Uterina, vel Fluxu qui
vulgo *Menstruus* dicitur.

STILLAT certis quibusdam temporibus ab
utero sanguineus humor; hoc phaenome-
non omnium ab omni aevo medicorum mo-
vit animos; nec mirum! ecquid enim philo-
sophica indagatione dignius? Hinc plurimus in-
quaerenda causa impensus labor. Hominibus
proprium plerique scripsere physiologi; temere
Hercule; mecum enim de re dubia multum re-
putanti, non ad mulieres tantummodo pertinere
videtur, sed ad animantia quaelibet, nec solum
animantia, sed et vegetantia quoque omnia, non
dissimilem quandam legem pati solere.

A

Quoniam

2 DE SECRETIONE

Quoniam vero jubet Academia Edinburgena lauream Apollinarem ambeuntes, vel de re medica, vel physica, quicquid palam proferre, de fluxus hujuscet legibus, et causis, conditionibus aequis quas proponit Alma Mater, obtemperaturus, tracto.

Ridebunt forsitan mortales, si quis ab animalibus, a plantis imo, hoc qualecunque sit, fluere affirmet, cum praesertim fluxui solas mulieres obnoxias plerique crediderunt; et aliorum quorundam foeminas animantium similiter affici vix ausi sunt perpauci afferere. Suadet vero, ut novam inirem opinionem, inter omnes organicae materiei partes affinitas, et quasi cognatio; virorum etiam illustrium nomina, qui plurimis animantium officiis plantas etiam fungi docuerunt, sensatione, scilicet, respiratione, circulatione, somno, spontanietate, et motus a vita ~~ex~~ terna recipiendi aptitudine; hortatur vero imprimis et recreat vir summus *, et in indaganda natura princeps, cuius e scriptis constat, propagari plantas a quodam coitu, nec inepta minus haec superiori aetati visa fuisset sententia.

P A R S

* Linnaeus.

P A R S P R I M A.

PHÆNOMENA MENSTRUORUM.

In regionibus nostris, circa annum 14um maturescit virgo, scilicet, ea aetate perficitur naturae opus, et fit ad veneris munera obeunda opportunior cruda antea et iners puella ; tunc temporis fluit e veneris antro genialis humor, nec ante annum 50um cursum fluxus assiduus certa periodo instaurare definit. Sub boreali coelo tardius egreditur, diutius perstat ; plagas, e contrario, torridas tenentibus, versus annum nonum * incipit ante annum 35 desiturus. Exceptiones tamen aliquas patitur lex plerumque generalis, sanguinem maturius effluxisse, et non ante extremam aetatem compesci fluentum traditur.

Notandum est etiam, pro corporis habitu, vivendi ratione, multisque aliis rebus, magnum interesse discrimen ; quibus victus laetior, temperamentumque sanguineum, cito menses erumpere assuescunt, mulierculis laxae corporis compagis et irritabilis, res eadem accidit.

Plurima

* Vide Swiet. Comm.

Plurima signa menses jamjam adfuturos praefagiunt; calor, torquentes per lumbos et partes vicinas dolores; laßitudo deinde, oscitatio crebra, et nausea; caput dolet, febricitat, nec cibum appetit puella; hebescit oculorum acies, et liveſcunt cavi orbes; genas deserit amabilis rubor; ſedet in ore pallor, in toto corpore maces; foetet halitus, et in cute rubras maculas eſt cernere. Paulo ante ferofus ſtillat liquor, leucorrhoeae non abſimilis; rubescit deinde paulatim donec tandem merus ſanguis, parvo pri-um rivo, ſed deinceps pleniori effluſit.

Hoc modo erumpunt menses, et ea, quae ſu-
pra recenſui, evanefcunt signa; turgent mam-
mae, reſplendefcit facies; roſeum induunt rubo-
rem labia; micant rutili oculi; et, quae pudet
dicere, ea levibus pilis horrefcere incipiunt;
donec tandem, velut ſerpens novus, poſitis exu-
viis, fulget.

Post xxix vel xxx dies plerumque idem flux-
us revertitur, quamvis prium inter et secun-
dum non ita certum, ac in ſubsequentibus,
ſpatium intercedat; tum quoque eadem reſcu-
descere signa; paulatim tamen relentefcunt, do-
nec indies conſuetudine diuturna nullum fere
important incommodum; nec defuere etiam
mulieres,

mulieres, apud quas dolor nullus, nulla proflus invaletudo, fluentum hoc primo erumpens insig-
niverit.

Diu inter scriptores de copia sanguinis fin-
gula periodo effusi acriter disputatum est. Artis
salutiferae conditor Hippocrates ad duas libras
Atticas, vel 20 uncias, redegit * ; idem fere aef-
timavit Friend †. Alii autem aliter sensere.
Verisimilior autem De Haen, qui plurima de hac
re pericula instituit, neque evacuationem hanc
his in plagis 4 vel 5, ad plurimum, uncias raro
admodum excedere comperiit, nec unquam in
majus excrescere, quin pars quaedam, vel totum
etiam corpus, male adficiatur ‡. Cum varie in
variis regionibus ratione initii et finis, ita et ra-
tione copiae se habeat ; in calidioribus etenim
major, minor in frigidis, observatur ; ab his
quoque fluxus pendet diurnitas quae nostris
in plagis 4 vel 5 dies non exsuperat.

Nec magis constat cuinam obeundo muneri
menstrua inferviant. Putant nonnulli fluido
hoc uterum irrorari, et recipiendo ita foetui ido-
neum effici ; aliis vero placet foetus inde ali-
mentum

* Hipp. de Morb. Mulierum.

† Vide Friend. Emmenal.

‡ Vide de Haen Rat. Medend. et Swiet. Comm.

mentum derivari, aut sic de corpore redundantem eliminari sanguinem, qui alioquin in gravissimos fatisceret morbos : De his autem fusius infra.

Cum menstrua, non nisi evoluto utero prorumpunt, ita et evanescunt cum suscipienda proli ineptus evadit ; tunc vero paroxysmi hysterici et eadem fere instant symptomata, quae et ipsis primo profluentibus inguebant. Indies autem imminuuntur, nec nisi duorum intervallo mensium revertuntur ; jam non sanguis sincerus, sed rubescens serum ejicitur, in tenuemque dein et albescensem desinunt materiem.

Quamvis raro foeminis uterum gerentibus menstrua contingunt, semel tamen aut iterum post conceptum, nonnunquam etiam per totum gestationis tempus, apparent : In nutricibus quoque plerumque compescuntur, mammaeque saepius, instante parturitione, lacte intumescunt. Praemissis igitur quae hujuscē fluxus causis enucleandis inferviebant, ad eas, quae hac de re, theorias excogitantur, expediendas, nosmet accingimus.

P A R S S E C U N D A.

T H E O R I A E M E N S T R U O R U M.

Cum ingens hic ingenio pateat, quo libere excurrat campus, nullas nōn conjecturas excuderunt medici, quibus circumfusam huic quaestioni caliginem depellerent.

I. *Luna Phaenominis Causa.*

Erasistratus, vel, ut alii volunt, Asclepiades, fluxum menstruum, aestus maritimi adinstar, lunae parere asserebat ; incidit in mentem istam auctor, cum videret, esse velut affinitatem quandam inter mutationes, quas subit luna, et ea tempora, quibus evacuatio menstrua reverti solet : Etiam multum lunam posse existimavit in epilepsia, in mania, et aliis in morbis qui exacerbationes patiuntur. Vir celeberrimus Mead hanc amplexus est sententiam ; sed longe aliter

rem

rem explicare conatus est ; ratus scilicet, aërem a lunae vi quadam dilatari, inde pondus corpori incumbens partim levari, et sanguinem inde facilis per vasa continentia viam sibi parare.

Quae quidem, ut penitus ruat sententia, sat est animadvertere aestum maritimum certis quibusdam nunquamque immutandis astringi legibus, quibus et hoc phaenomenon morem gerat, necesse est. Si ita etenim res se haberet, omnibus in uno quolibet loco eodem tempore mulieribus obtingeret, puta, cum ad terram proxime, qua possit, luna appropriquat *, praecipuumque ipsius exercet imperium, et pro variis ejusdem phasibus varium sit oportet. Contrarium prorsus accidere quotidie cernimus, in magnis praesertim urbibus, ubi qualibet non tantum periodo, sed et singulis diebus, imo et singulis horis, accedit ; atque apud has definit dum apud illas redintegratur. Quinetiam raro in una eademque muliere eodem bis tempore recurrere deprehenditur ; sed nunc singulis 15 vel 21 diebus, alias autem post menses tantum aliquot, recurrere deprehenditur, cum lunae legibus apprime consentiret, si, de qua agimus, valeret theoria ;

* Hall. Elem. Physiol. Tom. 7.

theoria; neque falsa tantum est, sed et manca pariter et imperfecta; exinde enim colligi nequit, cur certo quodam tempore incipient cesantque menstrua; namque luna aliter pro pueritiae et senectute, aliter pro intermedia aetate, se gerere nequit.

2. *Fermentum.*

Dum apud medicos vigebant adhuc chemorum opiniones, ea omnia, quae in corpore humano fiunt, ad leges chemicas referre mos erat; et dicebantur menses a quadam fermentatione * oriri, et a liquore quodam acri uterum vaginamque erodente. Latet penitus natura fermentationis, et Hallerus insuper vel uno verbo † opinionem funditus eruit, atque evertit: dic enim, argumentandi gratia, fermentationem accidere, eam faevius tyrannidem exercere suppressis mensibus necesse est, et ab acri liquore fermenti prole, uteri fabricam deleri; quinimo, nullus liquor acris, erosio nihil, incidentibus, sese offert. Quaerendum est etiam, cur a fermenta-

B

tione

* Vide De Graaf.

† Hall. Elem. Physiol. Tom. 7.

ione ista, universum per corpus sanguinem non novam, et fermenti similem speciem induere? quare solus liquorem acrem fecernit uterus? Quare per quindecim annos latet?

3. *Theoria Mechanica.*

Initis calculis mathematicis, alii rem explicare conati sunt, quippe qui mechanicorum doctrinas amplexi, corpus pro machina habebant, et hydraulicis tantum legibus parere, credebant, negabant ad faciendos menses plethoram aliquid conferre, nec faciebant magis et confuetudinem, et vitae vim latentem. Nihil vero his calculis ineptius facile ei apparebit, qui corporis fabrica, et oeconomia animali rite perpensis, viderit, non ex una, sed e multis partibus constare hominem, nec uni, sed plurimis variis inter se, et veluti in circulo agentibus, legibus, inservire.

Duae medicorum haereses sunt, de fluxu menstruo differentium, eorum scilicet, quibus pro causa est generalis plethora, et qui pleniorae locali credunt.

4. *Plethora*

4. *Plethora Generalis.*

Plethorae generalis opinio a Galeni tempore usque invaluit. Summi viri *, qui huic favebant sententiae, ad eam stabiliendam multum laboris et ingenii acuminis impenderunt; eorum argumenta quam paucis expediar.

Mulieres ad concipiendum, et foetum per novem menses alendum natae, ea lege a natura effinguntur, ut earum instrumenta sanguinis majorem copiam parent, quam in proprio enutriendo corpore absumi necesse est. Ante parendum, ne ex retento sanguine ingruet malorum cohors, massam inutilem eliminando praecavetur; sed ad hoc efficiendum maxime opportunus uterus; pendulus enim exstat, et in nullam aliam partem hiant adeo patula vasorum ora; apud gravidam sanguis nimius a foetu absumitur, hoc expulso, mammae petit, in lac ad infantuli nutrimentum elaborandus. Quinetiam addunt, mulieres magis quam viros ad plethoram esse proclives, quippe quae non magis parce vescantur,

* Boerh. Friend, Monro, Manning.

cantur, et quae, debiliores utpote, et vitam degentes otiosam, non easdam evacuationes subeunt: inde colligitur, accumulari sanguinem; et huc referri debere, dolores capitis, dorsi, et lumborum, et caetera quaecunque antevertunt fluxum; quin, obstructis mensibus aut suppressis, juvat sanguinem vel secta vena vel aliter educere, et hoc pro summo argumento ponunt.

His objiciendum occurrit, *imo*, Non posse rationem reddi, quare post conceptum subito desescunt penitus menses fluere. Vix credibile est, foetum in primis mensibus parte 40 sanguinis uti, qui in provectione studio absunitur; unde dices, vel in primis mensibus nimiam esse copiam, et abortus periculum, vel in postremis, quod alendo foetui sufficeret, deesse. Initis calculis, qui plethorae generali favent, argumentum declinare querunt: non tantum, aiunt, sanguinis, quantum per novem menses effunditur (dicunt vero circiter uncias viginti mense quoque effluere) ad foetus incrementum necesse; et quoniam exiguus homunculus non totam absunmat copiam, pars adhuc eliminatur, donec tandem firmior, toto sanguine uti potest. Ad haec corroboranda argumenta, quotidianam praxin, scilicet, aliquot uncias sanguinis extemplo post

con-

conceptionem detrahere, omnem abortus a fluxu orientem metum auferendum, felicissime exerceri.

Mensium pondus, secunda valetudine, nunquam 6 vel 8 uncias superat, saepissime quatuor vix aequat; quae quantitas, per sex menses, collecta, nec dimidium foetus ponderis aequaliter, nec per quatuor gestationis menses poterit satis alere posset, secundum alteram theoriam; turgescunt mammae diu ante partum cum maxime nutriti foetum oportet; et plurimas robustioris habitus cernere est, quae nullam sanguinis evacuationem passae maturum partum ediderunt.

In copia aestimanda, nulla roboris habenda ratio: si enim, exempli gratia, paucis diebus ante ejiciendos menses incidat in peripneumoniam, erysipelatem, vel morbum quemvis phlogisticum, cur praemature fluens sanguis, humores nimios auferendo, turbas non compescat? Quin, e contra, ad tempus debitum recurrit fluxus, quod nullominus pro plethora habendum. Effoetae, tabidae, et languescentes laborant diu, et larga copia stillat sanguis: Quinetiam quae hoc modo afficiuntur, iis ventrem ferre est levamini.

Fac

Fac a plethora pendere purgationem menstruam, et male pastas non pati, et fluxum sanguine de vena misso praecaveri concedendum est. Sed longe aliter fere res habet; secta nempe vena, si vel triplicem sanguinis copiam, dum silent menses, detrahas, ad debitum tamen tempus mulier patitur, nec regressis imminuitur quantitas.

Non in culpa est, quod plus elaboratur sanguinis quam alendum corpus efflagitet; hebdomadis enim singulis, singulis imo diebus, vasa nimio sanguine referta evacuari postularent.

Nec placet eorum assentire sententiae, quibus mulieres ita a natura factas visum est, ut sanguinis nimia fiat in earum vasis congestio, et ad talem instrumentorum sanguinem parantium statum infirmum magis et debilius corpus dare proclivitatem; ecquid mulieribus viscerum chylum facientium singularis fabrica? Et hanc secundum opinionem uberior quam viros eas pasci oportet; juvat enim ad concoquendos cibos exercitium; difficilis igitur desidibus et male exercitatis mulierculis digestio est.

Si foeminis ea vis inesset, ut in proprium proliisque nutrimentum suppletur sanguis, robur tale, talem obesitatem et plethoram, qualem ante

conceptum, inter gestandum adesse quoque oportet; sed e contrario pallefecit, marcescit pu-erpera; et quaenam, quaeſo, alia mutationis ratio reddenda, quam quod abſumitur in prole alenda ſanguis iſte, qui ad proprii corporis im-penſum requiritur.

Neque, cum viros plethora ſaepe laborare pa-tet, nec ullum iis exitum dari, niſi qui foeminis communis, credendum eſt ab unciis quatuor, copia exigua, universalem et morbosam inferri poſte plethoram.

Objicitur etiam, pendere non raro a refertis vafis amenorrhoeam, et hunc morbum, ſecta vena, feliciter tractari.

Nec quod perspiratio minor fit, et quod hu-morum copia exigua per alia tranſeat emuncto-ria, iſta ſuffulcitur opinio; in plagis etenim tor-ridis, larga ſolet eſſe perspiratio, et in regionibus iſtis, copioſores, quam terras Boreales tenentibus, menses efflorefcunt.

Si minor fit apud foeminas, ob fibram debili-orem, perspiratio, puellis etiam minimam eſſe o-portunet (quippe quibus multo debiliores ſunt fi-brae), et idcirco menses vel a cunis cieri. Ad-dendum etiam, quod obſervavit Van Swieten, in-

ſigne

signe post eruptos menses puellarum incrementum fieri.

Nec ulla satis digna causa datur, cur circa annum 45um evanescat purgatio menstrua; si enim circa hoc tempus firmior uteri compages sanguini transfituro obstet, densae sunt etiam per caeterum corpus fibrae, et materiae perspirabili transitus non minus foret difficilis; nec paulatim, sed subito quodammodo, menses defuiscunt efflorescere; non ideo fibrarum in causa est rigiditas.

Ista a claris viris prolata argumenta, adeo sententiae plethoram pro causa ponentium, obstatere, ut ad confuetudinis vim se conferant, dicantque, si plethora actionem uterinam ciet, etiam amota causa persistare; inepta vero vox ista est, nec veris philosophiae legibus consentanea.

5. *Plethora vel congestio topicalis.*

Proximum locum obtinet plethora localis. Theoria ista a summo viro, professore Andreapolitano Simson excussa, multum invaluit, auctoritate innixa, Van Swieten, Halleri, et aliorum celeb. virorum; et quamvis litem non penitus diri-

dirimerunt, multum tamen fidei sententiae ad-
jecerunt ea, quae Clift. Wintringham celebra-
vit pericula. In eandem fere mentem incidit
illustris Cullen, et Wintringhamii experientia
profectus, hujusmodi argumenta professor sub-
tilis, et ingeniosus profert. Venarum magis
quam arteriarum, quae venas comitantur, tu-
nicae puberibus sunt densae; ob resistentes i-
deo venas, liber sanguinis ex arteriis in ve-
nas fluxus impeditur, et arteriae magis dif-
tenduntur, quam si nil tale adesset: ab ine-
unte, igitur ad medium usque aetatem, ple-
thora laborant arteriae. Sed ope distensionis
perpetuae et pressurae a sanguinis impetu, arte-
riarum densitas tandem venarum densitati par-
evadit; hoc fere semper circiter medium vitae
tempus evenit; sed senescentibus eadem adest
pressura, densiores inde tandem arteriae fiunt,
et venosa nascitur plethora; ad ciendos menses
ovaria conferre putat idem egregius medicus;
quis vero ovariorum sit status peculiaris iste,
nescire se fatetur. Additur ab hujus opinio-
nis fautoribus sine vasorum plethora nec evolvi
nec crescere hominem, sed non eodem tempore
extenditur singula pars, nec ad crescendum seg-
nius se praebet ullum, quam uterus, viscus;

producuntur ideo ante erumpendos menses alia viscera, et eo fertur sanguis, unde uterus penitus reddituro obstet. Aiunt etiam et magis patulas et debiliores esse arterias uterinas, quam quae apud mares, simili fere munere funguntur, spermatica, firmiores vero nec grandes adeo venas cognomines; deesse preterea iis valvulas, inde circulationem impediri, et eousque arteriarum fieri plethoram, ut sibi parata via irruperet sanguis; et ex ipsis aiunt principiis explicari posse, quae circa tempus istud eveniunt symptomata, horror scilicet, lassitudo, calor, gravedo, et circa lumbos, dorsum, et abdomen dolores.

Haec autem theoria minime primum erumpentium mensium causam reddit, atque hic haud levia objicienda veniunt.

Age, disputationis ergo, inaequalem fabricam (quod minime pro certo habendum) quis dicat alio quovis tempore antequam supervenit fluxus, minus inter se disparec esse uterum ceteraque corporis partes. Non, quaeso, filere menses intelligendum ea aetate, anno scilicet 30 vel 35, quando venarum cum arteriis haud dissimilis est densitas? Sed post ortam plethoram venosam, dudum perstat.

Ecquae

Ecquae proferendae rationes cur, neglecta hominis portione qualibet, ad alteram porrigendam partem, iniqua laborem et curas impenderet natura ; quin a provido rerum Parente et humano genere usque reparando invigilante, ea lege homines constitutos lubentius dicam, ut crudo caetero corpore et rudi, vigeat et maturescat uterus, et ante evolutum corpus puellas menstrua pati quis nesciat ?

Obstructis mensibus, eo, quo affluescunt efflorescere, tempore, aeger et molestus laborat uterus, redeunt symptomata quaeque, unde ad futurum fluxum noscas, vel quae eum stipare solent ; perstant ea signa per tres aut quatuor dies, et nulla evacuatione facta evanescunt, quid tunc temporis fit congestio localis ? Si enim menses ob plethoram effluant, congestum topice sanguinem paulatim augeri decet, et viam tandem sibi per uterus, portam facillimam, struere, vel eos tandem morbos cieri, quibus coacervatus in vasis fanguis pro causa exstat.

Crescentes praeterea post eruptos menses puellas reperias ; nec crescentibus deest purgatio menstrua, nec minuitur copia ; sunt et alia plura contra plethorae localis sententiam proferenda ; sed, ut mihi videtur, his quae recensui argumentis

gumentis male nata opinio eruitur, nec pluribus verbis eam refellere opus.

6. *A libidine petitur.*

Nuperrima quae hac de re prodiit sententia a viro ingeniosissimo Rob. Emmet in dissertatione inaugurali tradita est; menstruam purgationem a libidine primario pendere contendit; ea scilicet urgente, circa pubertatis annos major ad uterum sanguinis copia, et majore impetu impellitur; ibique mechanismo quodam, ab eo non absimili, qui in erecto pene virili obtinet, diu remorari cogitur, tuncque extravasatur in sinus debitos huic a natura recipiendo comparatos, ubi iterato oestri venerei insultu tanta congeritur copia, ut contractilem uterus stimulando exinde expellitur. Hanc opinionem amplexus perpolivit scriptor quidam, qui ideo certis efflorescere intervallis purgationem menstruam putat, quod perfectior sit hominum memoria, suaque inter se facilius notiones consocientur*. His vero argumentis obstat, quod fatuae, quibus brutis quibusdam imbecilior mens est, rite menstrua

* Brunonis Praelectiones.

strua patiantur, dum iisdem carent nutrices, etiam si libidinem non illibenter indulgeant.

Longe autem invectiori rationum pondere haec premitur theoria. *1mo*, Quidam solertissimi oblatrant anatomici *, qui frustra ideo cadaver rimati sunt, ut caveas quas finxerunt, in utero deprehenderent. *2do*, Instante imprimis fluxu menstruo, foeminas venerem sordescere observatur †.

P A R S T E R T I A.

THEORIA PROPONITUR VERISIMILIOR.

Supereft ut de hac re verisimilius aliquid, quantum in me est, tradar, nulla his, quas supra recensui, sententiis fide addita.

i. Mensium fons, eorum indoles et usus.

Constat, a secrezione quadam, plurima in corpore humano fieri, bilem exempli gratia, salivam,

* Monro, Haller.

† Van Swieten. Comm.

vam, succos gastricos et pancreaticos, quorum in concoquendis cibis utilas, semen, et hominis incrementum ; non veri absimile mihi videtur, menses a glandula elaborari, et eorum usum ad novi primordia animalis inservire, vel hujus saltet portionem istam quam mater suppeditat ; non enim nobis res est, utrum totus matris sit homunculus, necne, neutra opinio mihi obstat existimanti, ab utero suum periodo quadam certa elaborari foetum.

Plurima, quae in sanguine menstruo cernere est, hanc videntur munire sententiam ; non enim menstruus sanguis, ritu aliunde detracti, sincerus stillat. Pondus vero inutile est, et e corpore eliminandum, quod foetor confirmat, quem neque a putredine, nec ab addito muco oriri constat. A secta vena, si sanguinem detractum aëri diutius subjicias, non faevum adeo odorem exhalat, nec putrescentis cruroris foetorem refert, nec hujus, cui mucus adjicitur ; dudum etiam putredinem arcet, quod per purgationem menstruam eliminatur ; fuscus et nigricans est huic color, micat ille rutilus. Sed, quo nil aliud magis nostram adjuvat sententiam, narrantur viri summi Hunter pericula, qui nullo modo sanguinem menstruum coagulare potuit ; ex-

stat

Itat quoque Rufshiana puellae historia, cui 20 annos natae a membrana coerciti nondum efflorescebant menses ; hac incisa, ruebat extemplo usque ad quatuor librarum pondus nigricans crux, nec coagulabilis nec ad putredinem proclivis * ; et quamvis hujusmodi non plurima proferenda sunt, his tamen fidendum, donec altera et numerosiora instituantur pericula *. Consentient etiam cum mensium phaenomenis aliarum secretionum symptomata ; qui primo impetu saepebant dolores, ii paulatim sentire desuescunt, et similis a bile tum primum fluente infantulorum sensus ; sed si non guttatum stillaret bilis, sed mensium adinstar interjecto temporis intervallo pleno effluerit rivo, tunc eandem periodo quaque molestiam persentiendam credo ; et pariter si mensium assidua secretio esset, nihil inde post eosdem primum eruptos pertimescendum ;

qui

* Vide Ruysch. Observ. 32. Tom. Prim.

† Cuilibet in hac re experimenta instituendi cura sit, menstruum humorem naturaliter fluentem assumere ; si eo etenim utatur, qui solito justoque uberius profuit, non facile errore carebit ; ita enim laxa patulaque dehiscunt uteri vascula, ut debitae secretioni imparia evadunt.

qui aliis stimulo est secretionibus, calor menstruum fluxum auget.

Neque interna uteri superficie haec peragitur secretio, sed illis enimvero arteriis, quibus totum fere ipsius conflatur corpus, quaeque in cavem hanc patulis inhiant osculis. Hic autem a reliquo fecernitur sanguine pars aliqua femini apta confiendo, quod a tenuitate tuborum Fallopianorum postea conbibitur, et in ovariorum cellulis deponitur, dum quod superfluum est per vaginam eliminatur.

Principem equidem in generando foetu ovaria locum obtinere uno ferme omnes consentunt ore physologi, secundum vero solummodo uterus ; quin et ipsum non nisi nidum quemdam recipiendo instructum embryoni existimarent ; quia in illis lutea semper corpora reperiunt, totidemque cicatrices, quot praecesserint conceptus ; illa praeterea animalia, quae ovarii orbata sunt, jugi postea sterilitate usque arescunt ; quae vero in utero deprehenduntur glandulae, ab his tantummodo elaboratur mucus quidem irrorandae ipsius qui inserviat superficie, neque in illis, unde effluit sanguis, arteriis, quidpiam glandulari simile compagi detexeris, cui mutationem hanc tribuas. Alia adhuc

praefeo

praesto sunt argumenta, quae ex ovaria inter testesque cognatione quadam petieris; adeunt arteriae spermaticae ovaria; reperiuntur ante eruptas menses ova; et non facile statuas quomodo in cellulas semen devehī possit.

Sed admodum spongiosa oyaria, docet anatōmia, nec glandularem eorum fabricam esse; nulla ideo ab iis perfici secretio potest; et secretionem ad hominem gignendum necesse quis neget; et quāvis utero mucosae sunt glandulae, tamēn existimandum ab arteriis menstruam purgationem effudentibus aliquid posse secerni. Sed sanguinis dotes primordiales mutari queunt flexuofae vasorum series, et glandularum officio fungitur quodammodo haec fabrica; vel potius nil aliud est glandula quam ex conglomeratis vasis congeries; et nullibi in corpore tortuosum adeo iter, aut plura innumeris anastomosis vasa conjuncta cernere est. Nec in aliis visceribus talia de sunt phaenomena; cutem assidua humectat secretio; evenit quoque simile quid in pulmonibus, et neutrō in exemplo, quia glandulas non repieras, inde materiam per meatus simpllices eliminari collendum; nec ad gastricum elaborandum succum, quo nil in homine subtilius, praeter arctum et delicatum vasorum rete

ulla alia paratur fabrica. Multum ideo a veritatis scopulo aberraverunt, qui inesse ovaria inter et testes consensum credebant; glandularis testibus est fabrica; nullae sunt ovariis glandulae, nulla epididimis, et sunt potius cum vesiculis seminalibus conferenda. Nec quod spermaticae arteriae petant ovaria inde colligendum ea ad excludendum testiculorum munus esse constituta; hujus enim arteriae maxima pars ad uterum pertinet; viris quorum vel conglomeratae vel glandulares sunt testes, longum est admodum vas spermaticum, nec talis fabrica supervacanea est habenda; mulieribus, e contrario, breve est, quamvis iis fore longissimum existimes, quippe quarum nullae reperiuntur in ovariis glandulae. In tenerrima puella ova, fateor, facile, deprehenderis, haec autem minime foetus sunt habenda, quin multum post conceptum vel armato oculo nullus patet in embryone partium ordo; nec nisi in foemina adulta, et forte non nisi membribus novissime effluxis, saccos istos detegas, quos pellucido quadam liquore refertos per calorem vel alcohol coagulabili tradunt scriptores; et reputanti secum pellucidas has vesiculos spongiosa uteri compage circumtegi, et tubulos iis esse a superficie externa, facile statuendum est,

quo-

quomodo semini ingressus pateat; possunt enim, dum menstrua effluunt, dilatari, cumque fluidum hoc subtile admodum supponamus, nihil obstat quin facile a tubis Fallopianis, quae ante mortem ovarii forsitan adhaerent, per minimula haec oscula viam sibi alluetetur ad ova quae huic semini praebent receptacula. Hinc intelligetur cur foeminae, quibus praeciduntur ovaria, postea sterilescent. Objiciatur, denique, debere materiam hanc ita secretam, et in cavam uteri dilapsam, per os tincae cum reliquis elabi, aut hanc etiam partem rubram inutilemque a capillaribus tubis Fallopianis, ad quas patiter appellit, resorberi; talia autem objicienti simile quid deprehendere est in tubo alimentario, unde faeces depellantur, dum chylus a lacteis conbibitur.

Cuinam purgatio menstrua usui inserviat, discrepant inter se medici; eam foli foetus nutrimento elici putant nonnulli. Si autem, aut jam supra probare fateimus, sanguis permuteatur, lymphaque, qua sola alat, viduetur, opinio haec ruat necesse est: praeterea patet, primo a conceptu mense tantam non posse a foetu insumi copiam, nec mense ultimo eandem sufficere, un-

de

de coniugio primum est, eam ad genituram profus esse necessariam, eique soli conspirari.

Plerique, qui hanc rem penitarunt, authores, in id consentiunt, foeminam nempe non posse utero concipere, quin prius fluxum hunc passa fuerit; quod utique quotidiana adeo experientia comprobatur, ut nullus sit qui de eo dubius haereat. Quin et affirmare non dubito, mulierem nunquam concipere nisi menstrua immediate praecesserint; aliter etenim semen ab ovariorum absorbentibus in sanguinem revehitur; hinc mulieres graviditatis periodos ab ultimo mensium fluxu statuunt.

Qui vero huic opinioni adversantur, his se rationibus circumvallunt. *1mo*, Apud quosdam itinerum scriptores legere est, lege hac generali Brasilienses expertes esse; et Laponicis, auctore Linnaeo, foeminis non nisi semel in anno menstrua adefesse, idque solstitio aestivo *, aut iis penitus carere, tumque steriles et effoetae languescere. *2do*, Sterilitatem quoque a menorrhagia oriri annotatur. *3to*, Ex autopia anatomica, patet, fluxum hunc a vagina stillare. *4to*, Denique, apud plurimas mulieres per totum gestationis tempus obtinet.

1mo,

* Vide Flor. Lapon.

1mo, Non defunt, qui menstrua ad generationem inutilia esse volunt; huic vero sententiae gravissima refragatur authoritas. Physiologorum princeps Haller monet, cessantibus menstruis, sterilitatem accersiri, iisdem vero nondum eruptis graviditatem desiderari. Ipsorum vero ex eo forsitan irrepsit error, quod menstrua persaepe albicantia lympham colore referant *; non cunctis nostrae regionis mulieribus aequa lege menses albescunt; et verisimile est, sub coelo gelidissimo, adeo pallidam extare purgationem menstruam, ut pro vero fluxu vix haberetur. Quod de Brasiliensibus fertur, nulla fide dignum videtur; menses enim patientur fluminis Oroonoko vicinissimae incolae †; et constat, Samoides, quae ista olim purgatione carere credebantur, legi communi esse obnoxias; et, pro diversitate locorum, diversa plura obstatre queunt, ne detegatur fluxus: recte ideo Astrucius,

“Qui ne fleure pas, ne graine pas.”

2do, Respondendum, morbum esse menorrhagiam, nec cum ea nobis res est de fluxu in fano corpore

* Vide Spence's Midwifery, and Friend's Immenal.

† Hall, Elem. Phys. Tom. 7.

corpo differentibus ; sed sterilitas inde oriri potest, sive exerto a fluente sanguine embryone, sive ob plurimam debilitatem, vel, quod verisimilius, laxa et hiantia vascula sanguini nulla mutatione vel secrezione peracta, exitum praebere.

3to, Vasa aliquando in imum uterum, vel etiam in vaginam, hiare non negandum est ; sed raro accidere solere sectis cadaveribus patet, et utero inverso, stillante ab ejus arteriis sanguine ; vel forsitan praeternaturalis est species altera ; non enim utero solo conceditur a Natura lusu vacare ; vel nonne fieri potest, ut istae steriles extiterint mulieres ?

4to, Quod proponitur, scil. parturientes fluxum pati, hoc in sequenti modo explicandum : placenta utero inhaerens minor est quam quae totam occupet vasorum superficiem, nuda exstat pars quaedam ; et quoniam inest secernendi facultas, forsitan paucae exigua copia purgationes ; et ubi per novem menses perstat fluxus assiduus, dicam, circa uteri cervicem implantatos arteriarum fines menses effundere similiter bilem elaborat schirorum hepar, modo ejus pars quaedam sana sit ; sed rarissima haec sunt omnia, nec contra leges generales usurpanda ; et afferen-

tium

tium menses alendo foetui inservire, non minus sententiae obstant.

2. Legi communi cuncta subjici animantia.

Aristoteles, naturae indagator accuratissimus, lege hac teneri animantia quaelibet calidioris sanguinis * adfirmavit; et veteres recentioresque quidam scripserunt, vaccam, equam, canem, cervum, balaenam, rajam pisces, tincam, et nullum ei parere. Neque hic consistam, quin et purgationem menstruam omnibus omnino animalibus obtингere dixerim, quibus utero concipere datum est. Et, *imo*, Quidem, ut jam vidimus, nullam unquam gravidam fieri mulierem, quin prius menses efflorescant; non secus igitur de animalibus sentiendum; nec immerito simile quid ipsis accidere conjiciemus: cumque vel minimula prolem aliquam animalcula progenerant, ita et fluxum quemdam pati putaverim. *2do*, Rubrum colorem mensibus minime necessarium ducimus, cum nec idem sit de essentia fibrae muscularis, neque una multiplici florū familiae

* Vide Aristot. Hist. Nat.

familiae facies ; et quidem in foemina humana varius pro varia regionum, temporumque ratione, mensium color deprehenditur. Quid mirum igitur, si tam diverse se habeat in animalibus, quae non ita inter se locorum varietate discrepant, quam a se invicem speciebus discriminantur ? 3^{to}, Longe aliter foetet sanguis menstruus ac crux putridus ; apprimeque callent animantes, quo femellae tempore oestro venereo pertentantur, quod non nisi ex odore quodam tunc temporis exhalato innotescit ; hocque secretioni uterinae, de qua agimus, tributum velimus. Menstruis fluentibus, non mulieres tantum, sed et caetera animantia, veneri aegrius auscultant ; etque ex accurata observatione asserit cel. Buffon, canem foeminam, sub fluxus hujuscem tempora, mari prorsus reluctari. 5^{to}, Minime obstat, quod a clariss. Hallero conjicitur, scil. fluxum hunc nonnisi sollicitante prurigine cupidinea observari, tuncque sanguinis extillationem quandam obtinere, quae pro purgatione menstrua perperam usurpatur. Sed huic sententiae prorsus dissentio ; si etenim ita se haberet, cur certo semper tempore accideret ? Quod si hac in re experimenta periclitarentur, nullus dubito quin sanguis hic menstruum referret,

tum ex eo quod aequa calore coagularet, diu-
que putredini renitetur ; sicque lis omnis peni-
tus dirimeretur.

Cum igitur in regionibus calidis purgatio
menstrua semper conceptui praeeat, neque sine
hac locum habere possit ; mulieresque in circu-
lo Arctico foecundas esse constat, non immerito
pronunciabimus, menstrua geniturae infervire,
communique hac lege omnes foeminas teneri,
quamvis varia apud varias ratione copiae, vel
coloris, obseruantur ; pariter vidimus secretionem
hanc ab utero elaborari, et ab eo testium instar,
minime autem ab ovariis, tanquam praecipuo
instrumento, generationem peragi ; Tubas Fal-
lopianas, more vasorum deferentium, ad ova in
ovariis, a vesiculis seminalibus non absimilibus,
semen perducere, ubi veluti in receptaculis de-
ponitur, et gratum suppeditat generationis or-
ganis stimulum ; neque conceptum contingere
innuimus, quin immediate menstrua praecesse-
rint, siquidem brevi a lymphaticis ovariorum
resorberetur semen ; unde in proposito est,
menstrua venereae cupidinis causam, non equi-
dam solam apud foeminam humanam, perperam
autem effectum haberet.

Cum omnibus similia animantibus organa, ad eadem obeunda officia, natura suppeditat, tum similis quaedam ipsis necessario adest evacuatio, quamvis diversa in diversis, tum ratione temporis, tum praesertim ratione copiae, reperitur.

3. *Utrum ad plantas posset coextendi secretio uterina?*

Dudum rerum naturae ista pars, qua nihil amoenius, nihil pulchrius, inculta squalidaque jacebat, nuperioribus his diebus viri quidam ingeniosi huic studio incubuerant; cum vero per pauca hic facta suppeditant, omnis fere hac de re certitudo exulet necesse est, et solo analogiae fundamento subnitimus, quae cum casta, legitima, suisque sit absoluta numeris, debito rationis pondere minime destituitur.

Suam non secus ac animantes prolem plantae progenerant, et, authore Linnaeo, maritati inter fe connubio coeunt; suis semper vesciuntur flosculis, antequam sobolescant, ipsarumque germina omnibus, quibus generationis opus peragit, organis muniuntur; suum mas semen testesque; suam quoque foemina vaginam, utrumque

rumque fortiuntur, quibus receptam a mare farinam fovet, quaque sublata, ipsius penitus tolle-
retur foecunditas; cum igitur apud foeminam humanam conceptui semper anteat secretio uterina, idemque de caeteris animantibus haud insulse dixeris, eadem quoque lege plantas obli-
gari, non ita temere pronunciaveris. In unaquaque planta foemina cuilibet observatori, paulo ante farinam masculinam conbiberit, posteo vero nunquam, liquorem quemdam videri est a foemineo stigmate exudantem, cuius pro exemplo fit flos violae tricoloris, “ Ante hanc foecunda-
tionem, si comprimas vulvam, extillabit liquor
“ quidam lacunarum melleus *, qui farinam if-
“ tam genitalem retinet, attrahit, et forte ex-
“ trahit †.” Et auctor quidem, de plantarum sponsaliis, ait, “ In omnibus fere flosculis liquor
“ nectareus adest, a flore secretus, quem putat,
“ celeb. Pontidera balsamum illud esse, quod se-
“ mina

* Quem neque melleum, neque nectareum merito nuncupaveris, siquidem in ipsis plantis maribus deprehenditur; idque etiam cum alia quacunque floris parte (petalo, puta, sive calici) nectareum situm sit, humor hic a stigmate facile elicies.

† Flor. Lap.

“mina hauriunt, ut eo diutius conserventur *.” Iterumque sic habet, “Quippe nondum con-“stat, quid humor hic nectareus in physiolo-“gia floris certo praestet †.” Atque hanc praecipue plantarum partem uterinae secretioni assimilare non dubitamus, idemque praestare munus dixerimus; plurimaque suadent rem ita se habere: *imo*, Quia a stigmate pro-
fluit. *2do*, Quia in omnibus *ferē* appareat floribus; masculinis tantum fortasse deest; quae, si probata opinio, novum praevalensque, aliis jam supra relatis, argumentum praeberet. *3to*, Has dotes frustra plantis natura donari impossibile, adhuc usus non clarescit, conjecturas igitur protuli verisimillimas. *4to*, Quaevis attamen theoria menstruationis placeat, eandem et in omnibus animalibus, et in omnibus *ferē* plantis existere, concedendum; nam, si imperio Lunae subjicitur, annon haec plantas maxime afficit? Si a fermentatione pendet, annon omniū sanguini animalium eandem fermentatio-
nem necesse est? Hominis etenim aliorum san-
guine animalium nihil distat; plantarumque succus sanguinis muneribus fungitur. Si tantum
physicas

* Amoenit. Acad. Spons. Plant.

† Ibid.

physicas subit rationes, annon iisdem submit-tuntur omnia fluida? Nec alias fane plantas pati multi contendunt auctores. Si porro a sanguinis copia in mulieribus ad foetum nutri-endum creata pendet, cur aliis foeminis, tum a-nimalibus, tum plantis, foetus aequē alentibus, eadem negaretur copia? vel, si tantum ad partes generationis perluendas, annon his eaedem quam mulieribus partes sunt? Si a quadam imperfec-ta uteri structura, nonne eundem uteri defec-tum in aliis animantibus interdum invenimus? Si ab ovariis in uterus agentibus, annon om-nibus ovaria? Si a quodam inter arteriarum et venarum roboris discrimine ad quarundam incrementum partium ita comparato, quoniam omnia animalia simul cum plantis similiter cres-cunt, nonne in omnibus hocce discrimen emi-nere debet? Si stat pro causa libido, cuncta certa animalia venerem concupiscunt, fortasse plantae; proindeque menstrua pati deberent? Quae, si per uterus fecerrentur, ut proles progeneretur, eademque venerem sollicitarent, suo quaeque utero, aut saltem instrumento quo-dam utero non absimili, quo speciem propaga-rent, instruuntur.

4. Vis virtusque Solis hujus phaenomenonis causa.

Genialem Solis calorem, omnium quae visa sunt, vitaeque ipsius causam primam, menstruationis etiam, (quatenus ab efficiente causa pendet), ab ejusdem historia plane constat. Sub zona enim torrida, ubi aestus perpetuus et fere aequalis, haud tam clare imminent ejusdem effectus, quam sub frigida, quae maximas caloris mutationes frequentissime subit ; quam sententiam probant multa. Inter tropica profecto tenera aetate incipiunt menses, copioseque fluunt ; in regionibus septentrionalibus, multo serius oriuntur, fluuntque parcus ; atque, ab plagis torridis si gradatim recedas, perinde ejusdem quantitatem imminui, eruptionem primum retardari, et demum omnino evanescere inveniemus. Ita Lapponiae mulieres singulis annis, per solstitium nempe aestivum, Solo tunc potissimum agente, tantum menstruant ; at in regionibus plus ad Septentriones vergentibus, quas minime foyet calor, rarius occurant menses. In omnia porro animalia et vegetabilia ha-

rum regionum imperium exercet Sol ; quo absente, foeminae marium amplexibus repugnant, in latebris sese abducunt ferae, marcent plantae, moerent omnia ; illo autem revertente, cuncta revirescunt, foeminae, menstruatione Solem sequente peracta, in venerem gratissimam ruunt ; Plantaeque foliis umbriferis floribusque decrantur nitidissimis,

“ One endless blush, one white impurpled shower

“ Of mingled blossoms —————

————— “ and hid beneath

“ The fair profusion, yellow Autumn lies.

Si vero ob potestatem Solis fluant menses, quaerendum, qua de causa non in torridis plagiis saepius quam sub coelo leniori erumpant ? (Tempestivi enim coeli incolae solent saepius quam apud septentrionales efflorescere menses). Quare per hyemem pariter ac dum fervet aestas, singulis mensibus, nec cunctae eodem tempore, mulieres menses patiuntur ?

Non tantum dicam, interesse discrimen inter temperiem nostrae hujus, et earum quae intra tropicos sunt regionum, quantum inter nostri
coeli

coeli et plagarum Polarium temperiem ; sed tamen hujusmodi evenit quoddam, et ante diem redeunt menses inter Tropicos, et constantes sunt magis ; et quoniam plenius effluant, non inepte dici potest, a dispari copia quodammodo pensari temporis intervalla.

Constat, non in ordine adeo menses fluere hysmalii tempore ; in nostra Academia, de medicina Clinica praelegens, tradit Professor egregius, plures in Nosocomium recipi solent per hyemem quam per aestatem amenorrhœa laborantes. Nec fieri potest, ut omnes eodem temporis momento purgationem menstruam mulieres patiantur ; in universa qualibet regione, cunctas consentientes nunquam invenies, aetate, fibrarum vel rigiditate, vel flacciditate, sanitate, et copia sanguinis, viatu, et vivendi ratione, animique affectibus ; sed, quaecunque eodem loco degentes, his omnibus simul afficiantur, fere et eodem tempore menses efflorescant, dicam ; sic in regionibus tropicis constans magis et copiosior adest, sub mitiori coelo, temperie parum immutata, non multum variant phaenomena ; regiones magis septentrionales tenentibus rarius erumpunt menses ; hyems Lapponica vix efflorescere finit menses ; et quoniam regionis istius aestas ab hyeme multum

multum discrepat, efflorescentes ordinem exactiorem menses servant; patet ideo, a coelo frigido ad calidius si mulier transeat, mire affici istam purgationem; simili legi paret plantarum secreto; in plagis frigidissimis, vel nullus vel parcissimus est fluxus; eaedem in nostris regionibus magis in flores luxuriant, sed magis ad meridiem, vel pluries in anno flores edunt, eandem arborem poma et matura et immatura, et flores gerentem saepius videri est, et vel quovis anni tempore pullulat; de planta quadam certior factus fui, novies per annum in his plagis florescente. Et quoniam cujuslibet vegetantis a partibus foemineis emanet humor ad conceptum imprimis necessarius, illum secretionem uterinam vocare auffus sum; eas enim credo in cunctis fungendis officiis, cum animalibus consentire.

Cur certa aetatis periodo erumpat, aut pariter senescentibus, cur unoquoque mense recurrit fluxus, nulla prorsus adhuc causa justa proleta est; quae a Friendio et aliis in medium profertur sententia prorsus temnenda est.

Apud mares, nonnisi evolutis legitime testibus, semen fecernitur; cum vero ingruente senio, reliquae claudicant functiones, haec quoque secreto penitus aboletur; sic etiam uterus, qui

prae caeteris corporis organis citius maturescit, suum pariter semen conficit, eodemque fere tempore torpet, languetque iners ; cumque prae viris anhelante gradu ad maturitatem properent mulieres, citiusque senectutis fata patientur, sic apud illas maturius efflorescit, seriusque sufflaminatur haec eyacuatio.

Causas recensuimus, cur majori profluxerit copia, idque frequentius, pro varia locorum ratione, in proxima praecipue a Sole distantia ; sed latet, et forsitan in aeternum latebit, quare quibusdam animantibus et vegetantibus, sit facultas tenuem modo liquorem secernendi, dum alia semel in anno, alia ter, quater, sexies, vel duodecies purgationem subeant.

Vocabulum menstrua, non parum obfuit quominus phaenomeni huic eam quae postulat lucem, effunderemur ; quippe quod unoquoque mense idem recurrere, fluxumque semper rubrum invenire, innuat, quae quidem ad ipsissimam rei naturam pertinere auctores perperam judicarunt. Varie autem apud ipsas mulieres appareat, nunc intra 15 dies, nunc intra 21 ; silent etiam diu menses, nulla facta injuria ; borealibus quibusdam regionibus, nisi semel, ter, quaterve in anno nullum experiuntur mulieres

fluxum

-9279

fluxum; rubet apud animantia quaedam, alias pal-
lescit sanguis menstruus; quoniam ideo e consensu
magno, cuncta inter animantia et vegetantia,
melius mihi videtur, voce *menses* omnino neglec-
ta, fluxum hunc, secretionem uterinam dicere.

Priusquam vero hancce dissertatiunculam de
manibus dimittam, nefas mihi fore existimavi,
sedulam celeb. Prof. Gregorii tacere humanita-
tem, et ingrata praeterire silentio quot quanta-
que amicitiae pignora, quot benignae comitatis
testimonia a claris. Black exceperim; temere
autem inepteque ad illius laudationem initerer,
de cuius in philosophicam rempublicam prae-
clare meritis, nulla unquam gens aetasve artium
ingenuorum studiofa conticescit. Te vero, excel-
lentissime Webster, quem dulci amici vocabulo
hic palam compellare potissimum juvat, quibus
te verbis, quibus grati animi indicationibus pro-
sequar? Quam amica me usque benevolentia,
quamque prudentibus imbueris consiliis, per-
grata semper, nec insuavi recordatione, revol-
vam.

CA A N T I C U

Isqabilis r. v. locuplentissima quoq; sediri p. n. t.
illustros e nobis ministrorum; qui inter nos et regnum nostrum
et regnum vestrum. 19. Ministrorum vestrum ab aliis
solitudo omnium quoniam non eritis habiti. Hoc nomen
et nescio p. n. t. n. s. n. s. n. s. n. s. n. s.

ob oblique oblique oblique

ob oblique ob oblique ob oblique

2. P. H. I. T.